



Catalogus dissert.

~~1629~~

I. J. Semler.

1. Obj. super 2 Timoth. II. et III.
2. Sectionis VII Concilii Trident. exemplum.
3. De Regeneratione monastica.
4. de prophanis theol. aëromatica pro se dicta biblica.
5. de infelicitate hominum presentium.
6. de Christi ad Abgarum epistola.
7. de imagine divina in humana esse natura.
8. de mysticorum interpretationum studio.
9. Indiquisatum Hermeneuticarum in Tertull. specul.
10. de tempore quo scripta fuerit epistola Pauli ad Galatas.
11. Antiquas fuisse, de quibus agit Act. XIII.
12. de propagata per Hierosolimum inter Germanos ref. christi.
13. de discrimine notionum vulgarium et christianarum in libris N. T. observando.
14. In chakt. I. 17.
15. de cavenda neglecta sedulitate sacra.
16. In Luc. I. Gabrielem spir. s. non esse.
17. Jesum Christum esse paulo auctore verum Deum et verum hominem. Diss. II.
18. Illustratio antiquæ carminis ex evangelio Hebraeorum.
19. de vario et impari veterum studio in recedenda historia de locis ad inferos.
20. Animum si recte describi personarum.
21. de Pestoborow et evangelio Hebraeorum.
22. de discrimine inter Sadduceos et Phariseos.

II. J. A. Neigelt.

23. Singularis providentia divina in pace religionis vestigia.
 24. de discernenda propria et propria dictione.
 25. de Calenis patrum graecorum in nouum.
 26. in 1. Joh. II. 20 et 27.
 27. interp. canonicis anglica Luc. II. 14.
 28. de Christo nomine regnante.
 29. Quam auctoritatem divinam religionis Christi confirmare sicut maioribus legitatione sinaitica.
 30. ad Heb. II. u.
 31. in 2. Cor. III. 17.
 32. ad Num. XXIII. 17.
 33. in Joh. XII. 20-23.
 34. de vera vi nominis filiorum dei.
 35. In 2. Thessal. II. 1-12.
 36. In Joh. XII. 1-17.
 37. In Joh. XII. 17-18.
 38. In Joh. XII. 17-18.
- T. 8. Quod est by 2. Cor. III. 6.

N. 129.

38

ΠΕΡΙ ΤΟΥ ΦΩΤΙΣΜΟΥ ΤΗΣ ΓΝΩΣΕΩΣ ΤΟΥ ΘΕΟΥ
ΕΝ ΠΡΟΣΩΠΩ ΙΗΣΟΥ ΧΡΙΣΤΟΥ
ΑΔ ΛΟCΥΜ 2 CΟR. ΙΙΙ, 6.



DISPUTATIO
IN
MEMORIAM NATALIS IESV CHRISTI
SCRIPTA
AVCTORITATE ACADEMIAE FRIDERICIANAE
A
I O. A V G. N O E S S E L T
THEOL. DOCT. ET PROF. ORD.

HALAE
FORMIS HENDELIANIS
A, M D C C L X V.





Etsi nihil est ad cognoscendum pulchrius, nihil ad ipsius animi humani dignitatem agnoscendam, omninoque ad bene beateque viuendum vberius, quaestione de natura Dei: tantae tamen ei rei offuscae sunt tenebrae, vt multis, iisque non indoctis, hominibus latius visum fuerit, hac in causa nihil, quam omnino aliquid, definiri debere. Quod quidem vel inertissimae desidia est, cum, prima vbi arripere non possunt ac summa, nec minuta sequi velint aut mediocria, sine quibus nec fieri tamen potest vt illa prima consequantur; vel fastidii delicatissimi, nemo enim tam stultus est, vt esurire malit, quam ea, quae non optima sint neque exquisitissima, degustare. At huic siue vitio siue errori aliquid tamen veri adiunctum est, cuius causa istud, quod diximus, vitium, nisi nimium esset, etiam pudoris & vero etiam pietatis speciem haberet. Neque enim modo tanta est Dei altitudo, vt eam attingere mentis humanae humilitas non possit; sed, quis qualisque sit Deus, ne intelligeretur quidem, aut aliqua eius umbra reperiretur, nisi se Deus ipse adumbrasset atque prodidisset effectis, quibus, nisi se Deus ipse teneri quodam modo posset. Quod si verum est de rebus iis, quibus, per huius vniuersi fabricationem, Deus quasi sui simulacrum expressit, vbi, qualis sit ille, vel necessaria ratione vel probabili tamen e signo colligitur: longe etiam verius reperietur in Dei consiliis, quae neque sensu villo neque mente, ne dicam complecti, sed neque inuenire possumus, nisi, quae sint abdita imperuiaeque humano ingenio, perspicua declaratione ipse significauerit. Atque hoc sensu verissime Ioannes Apostolus (Euang. c. I, 18.) *Nemo Deum, inquit, vniquam vidit, vnicus ille filius, qui fuit in sinu patris, ille declarauit, & Christus ipse (Io. VI, 46.): Neque enim quisquam vidit patrem, nisi qui apud patrem*

fuit, is patrem vidit; quare, addit alias (c. XIII, 9.), me qui vidit, patrem vidit quoque. Hoc ipsum quo sensu dixerit Christus, quaesivere interpretes; non quo sit admodum ad reperiendum difficilis, sed, quod varietas sententiarum atque dissensio docet, in loco tamen Paullino eiusdem argumenti 2 Cor. III, 6: "Ὅτι ὁ Θεὸς ὁ εἰπὼν ἐν σὺντάξῃ ὡς λαμβάνει, ἐκ ἐλαμβεν ἐν ταῖς καρδίαις ἡμῶν, πρὸς φωτισμὸν τῆς γνώσεως τῆς δόξης τῆ Θεῶ ἐν προσωπῶ Ἰησοῦ Χριστοῦ; quem hanc per opportunitatem illustrare constituimus, non neglectis ceteris, qui eandem rem continere videntur.

Magna pars huius epistolae ad Corinthios versatur in defendenda auctoritate dignitateque muneris Apostolici, quo esset ornatus Paullus, a cap. II, 14. ad c. VII, 1.; quam quidem defendit ita, ut se quidem primum profiteatur non esse eum qui ipse sit aptus ad illum locum cum dignitate tuendum, sed ornatum a Deo ea fide donisque iis, quibus tanto oneri ferendo, ac potius ornando loco, parem se esse sentiat; quae disputatio ad v. 6. cap. III. intenditur. Tum ille fidenter, ut solet, de ipsius Apostolici muneris praestantia, quae tanta sit, ut se quidem non modo non pudeat eius dignitatis, sed libere etiam ac perspicue disciplinam Christianam propager; quo fiat, ut, si qui sint qui neque intelligant vim Evangelii neque eius aliquem fructum capiant, ipsi sint in culpa, Evangelii ipsius aut Pauli obscuritas nullo modo. Ita de praestantia cap. III, 7-11, de ceteris post dupliciter, aliis paulo verbis. Solet enim eadem saepe bis dicere, ut in animos fortius influant, veluti ad Rom. VII, 15-17. & iterum plenius v. 18-25; nec nostro in loco dubitari potest, quae cap. III, 11-18. dicta sunt de liberalitate perspicuitateque doctrinae suae, itemque de tarditate ingenii Iudaici, eadem, sed alio modo, cap. III, 1-6. repetita esse; quod quidem cuilibet utraque conferenti patet. Qua in re habemus, unde loco ei, quem tractamus, lumen afferri possit, si quidem eius obscuritas, praeter quam cum adiectis, etiam cum illo superiore conferatur.

Igitur, inquit Paullus cap. III, 1 sq., cum tale ministerium (ταύτην pro ταυῶτην c. III, 12) habeamus; naevi hoc beneficium (id est ἐλεηθῆναι ut 1 Cor. VII, 25), non ignavi sumus (περὶ ἧ ταπεινότητος χρωμεθα dicit c. III, 12. & c. III, 13. πινεόμεν, διὸ καὶ λαλέμεν). Sed repudiamus clandestinum dedecus ita, ut neque in vafri-
tie

tie versemur, neque adulteremus doctrinam Dei, sed veritatis declaratione probemus nos omnium iudicio hominum, consentiente etiam Deo.
 In quibus verbis τὰ κρυπτά τῆς αἰχρῆνης non sunt ad Iudaismum referenda, quod in mentem venire posset legentibus locum Phil. III, 19, vbi αἰχρῆνη, quod nos quidem suspicamur, de circumcissione accipitur, cuius tamquam κατατρομῆς, vt ait Apostolus ibi v. 2., pudere debebat Iudaeos potius, nec magis ad alia quae quidem interpretes his in verbis viderunt; sed ipsa illa vafrities est, ipsa illa doctrinae diuinae peruersio, illa σοφία σαργική c. I, 12., illud κατηχεύειν τὸν λόγον τῶ Θεῷ c. II, 17, (quasi tu diceres *cauponari doctrinam Dei*, vt fere ENNIVS apud CICERONEM Off. I, 12. *cauponari bellum* pro: lucrum in bello sectari) a qua turpitudine se Paulus alienum profiteretur, studiosus videlicet ἀπλότητος καὶ εἰλημονεῖας καὶ φανερώσεως τῆς ἀληθείας; in istis quidem omnibus locis eadem a se facinora remouet. Ἀλήθεια igitur, vt Paullo fere semper, purum est Euangelium, non humanae stultitiae commentis infucatum, quod se dicit φανερῶν, non abscondere, non celare, sed dicere aperte; nec enim tantae virtutis doctrinam prae se ferre ignominiosum putabat, Rom. I, 16. Hac libera professione se Dei probabat hominumque iudicio. In quo non placet LAMB. BOSII admonitio (*Exercit. Philol.* p. 159.): πρὸς πάντων συνέδ. ἀνθρ. coniungendum esse cum φανερώσει τ. ἀλ., non cum συνισ. ἐ., numquam enim legi συνιστάμεν ἐ. πρὸς τινα, sed cum datiuo. Quasi Paulus non saepe alias, more Ebraeorum, veteretur illa particula pro datiuo, nec in ipsa hac disputatione c. III, 1. epistolas commemorasset συστατικές πρὸς Κορινθίους h. e. quibus Corinthiis commendaretur, & v. 4. πεποιθήσιν adhibuisset πρὸς τὸν Θεὸν pro datiuo Θεῷ aut ἐπὶ Θεῷ, quod alibi habet; certe nec durior est ista forma quam Bosiana verborum traiectio. Vtraque igitur si dura dici debeat, quidni praeferremus illam & Paullo tribueremus, qui alibi, c. V, 11, profiteretur ταῖς συνεδέσασιν Corinthiorum, non: tradidisse veritatem, sed probasse sese, *πεφανερώσασθαι? Συνεδέσασιν* & in hoc & in illo loco iudicium vertimus, vt 1 Corinth. X, 29, nam ibi quem ad modum v. 25. 27 seqq. pro γνώσει est s. πίσει haud dubie. Ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ siue asseuerandi causa positum putes, vt Gal. I, 20.: *testis est Deus!* siue pro: *consentiente* s. probante Deo, vt pariter se hominibus ac Deo probauerit, idem est; quamquam hoc ad loca propter eandem rem similia 2 Cor. V, 11: & VIII, 21. aptius dici videatur.

Iam, *neque enim*, pergit v. 5. (praetermittamus enim quae interiecta sunt vsq. 3. & 4. de indocili Iudaeorum ingenio, quae postea repetemus) *neque igitur nos ipsos profitemur, sed Christum Iesum, Dominum, at nos, seruos vestros propter Iesum.* Quid opus est longa interpretatione? quam offerunt ipsius Paulli verba 1 Cor. III, 5: *Quis est Paulus, quis item Apollonius, nisi ministri, per quos ad fidem adducti estis, prouti quidem cuique Dominus facultatem dedit?* Itaque, vel e disiunctionis lege *Dominorum & seruorum*, post κηρύσσομεν repetendum est: κηρύσσει, ac seruos Christianorum doctores dicit διὰ Ἰησοῦν, *propter Iesum*, quod ab hoc essent missi & imbuti doctrina ea, qua Deus per Iesum homines institueret; vide cap. III, 4-6. Atque sic deducimur ad versum sectionis nostrae sextum, cuius maxime causa haec nostra instituta est disputatio.

Ac de verborum inter se coniunctione parum est, quod laboremus. Etiam si relatiuum ὅς ante ἔλαμψε aliquot in codicibus, quod otiosum videretur, male praetermissum fateamur, nihil sensum afficit ipsum, siue ἐστὶ, quod omnes suppleri iubent, ante ὅς ἔλαμψε statuas, siue post illud ὁ Θεός, quod HEYMANVS putabat, operose contra dicente PRATIEO V. V. (*Bibl. Bremens. noua* Class. V. Fasc. I. p. 90 sq.); quamquam & ὅς poterit esse pro ἔστος, vt Rom. XVI, 27. Nec attinet repetere quod εἰπεῖν sit pro *inbere*, aut disputare: rectiusne ἔλαμψε pro *illuxit* accipiat, an transitiua significatione luminis *accendendi*; quod vtrumque potest. Minuta haec sunt quidem. Hoc igitur quaeratur: quid sit: πρὸς φωτισμὸν τῆς γνώσεως τῆς δόξης τῆ Θεοῦ ἐν περσώποσι Ἰησοῦ Χριστοῦ?

Atque hic non admodum necessaria videri posset quaestio: genitiuus, τῆς δόξης, sitne cum γνώσει copulandus vt attributi vim habeat. q. d: *illustris cognitionis Dei*, an notionem potius palmarem eamque in disputatione vniuersa regnantem contineat, itemque vim habeat subiecti, *diuinæ videlicet maiestatis*, quam contuerentur agnoscerentque Apostoli? Sed ab ea quaestione, quod nobis quidem viderur & intelligitur postea, ceterae omnes pendent. Quid quaeso causae est, cur Paullus fidenter se ad omnium intelligentiam dirigere doctrinam Euangelii profiteretur, cur miretur ita hebetes ac caecos Iudaeos, vt neque lu-
men

men istius doctrinae neque muneris Apostolici dignitatem videant, nisi quod tantus splendor (δόξα) Dei & Christi emicuerit per Euangelium, radiosque in partes omnes spargerit? Hinc, ante quam de se atque Iudaeis dicat cap. III, 12 sq. iterumque c. III, 1 sq., illa vberior disputatio de splendore Dei ad Moſen deriuato, de splendore ac maiestate Domini ad Apostolos eorumque munus affluente, cap. III, 7 sq., quam eandem rem ita semper cum sui defensione & accusatione Iudaeorum miscet, vt in hoc splendore (δόξη) caput & arcem disputationis inesse facile intelligatur. Neque nos conturbat id quod in contrariam sententiam afferunt: τὸ εὐαγγέλιον τῆς δόξης v. 4. esse illustre Euangelium, γνώσιν τῆς δόξης igitur illustrem cognitionem; nam ibi quae ἡ δόξα τῶν Χριστῶν potest esse splendor, magnificentia, Christi, quae fiat per Euangelium conspicua, vt c. III, 18. eadem δόξα Θεοῦ respandit ἐν προσώπῳ Ἰησοῦ Χριστοῦ. In quibus explicandis mira est interpretum dissensio; multi, tamquam rem confectam, ne dignati sunt quidem attingere. Sunt, qui vertant: in facie Christi, non male, nostra quidem sententia, at quonam sensu? Si ad naturam diuinam Domini nostri Iesu Christi, ad nomina illa Christi ἀπαυγασματος τῆς δόξης, χαρακτήρος τῆς ὑποστάσεως Ebr. I, 3. si se referant, agnoscimus diuinitatem istam, sed veremur, ne hoc in cogitationem non cadat; quid est enim: e diuinitate Christi, Patris diuinitatem agnoscere? Aut: in facie Christi expressam quasi fuisse Patris maiestatem, quod alii solent dicere, id quomodo intelligatur? nisi verbis nos aliosue fallere velimus. Nec profecto quaerendum est hoc loco: an Christus verus sit Deus? an vel vultus nobilitate retulerit maiestatem Dei? profitemur vtrumque; sed ex alterutro, quo modo peruenerint ad Euangelii propagandi agnitionem, de qua quidem loquitur Paulus, nemo allequatur. Quodsi ii, qui in persona Christi interpretantur, eodem id sensu dicant, eodem siue in errore siue prauitate loquendi tenentur. Sin explicent: nomine, auctoritate Christi, tamquam eius legati, videmus intelligi posse, si quidem docuerint: ἐν προσώπῳ vniquam apud Paulum hoc sensu esse; quod enim πρόσωπον de persona dicatur, notum est, sed nihil ad rem, de formula ἐν προσώπῳ Χριστοῦ quaeritur. In quo ipso errato GROTIVS est, vir magnus, πρόσωπον dicens significare omne id, quod sensibus exterioribus percipiatur, vt Christi dicta & facta,

facta, & splendorem illum in monte, & resurrectionem & quae sint eam secuta; verus ille quidem quodam modo, de re si quaeratur, si de verbo, quo modo illa vis verbi efficietur? Quod si etiam de nostro aliquid esset afferendum, probabilius certe diceremus: ἐν προσώπῳ Χριστοῦ esse per Christum, ut πρόσωπον redundaret Ebraeorum more, veluti in illo Matth. XI, 10. πρὸς πρὸς αὐτοῦ i. e. ante ipsum; nam de Christo saepe Paullus, tamquam per quem & missus, & edoctus & adiutus sit, c. II, 17. III, 4 seq.; id & rei esset & verbis conuenienter dictum. Sed quid est quod neue videant neue fateantur πρόσωπον I. X. referri ad πρόσωπον Μωϋσῆος cum eoque componi, ut, quamquam Israelitae ferre splendorem vultus Moïsi non possent eundemque conueri, Apostoli tamen in vultu Christi splendorem maiestatemque Dei agnoscerent. Quae inter se comparari, viderunt ERASMVS, BEZA, LOCKIUS, alii quoque, ut verbi aut imaginis proprietates non negligenda videatur. Id igitur latius persequamur, ut vel sic, quae vis sit istorum verborum, perspicue intelligi possit.

Vnde autem rectius initium diceandi faciemus quam ab iis quae proxime a loco nostro absunt, ac potius, ut supra dicebamus, ipsi illi interiecta reperiuntur v. 3. & 4.? Etenim quis negat similitudinem φωτισμὸς τ. γνώσεως τ. δόξης τοῦ Θεοῦ cum illis v. 4. quae continent φωτισμὸν τ. εὐαγγ. τ. δόξης τῷ Χριστῷ? Itaque, si in nostro loco maiestas diuina resedisse dicatur in facie Iesu Christi, in illo autem Christus imago Dei, similitudo pariter agnoscat; nihil est igitur quod quaeratur, nisi quo sensu ibi sit Christus imago Dei? Quod quidem non est e longinquo repetendum: Iussit Deus, sunt Paulli verba v. 6. ut e tenebris lumen emergeret, cum conderet hanc terram. Atqui alius Deus, ut ille ait v. 4., Deus huius saeculi, mentem profanorum hominum (τῶν ἀπίστων) occaecauit, ut lumen Euangelii de Christi maiestate non videant. Vtrinque lumen est, proprium illud v. 6, improprium v. 4. quod per Christum illuxit terrarum orbi. Quid est igitur quod Christus hic dicatur imago Dei? nempe quod haecenus Dei similis est, ut, quemadmodum Deus lumen attulit terrarum orbi, tenebris ante, quam formaretur, sepulto, maiestatemque suam quasi spectandam dedit, ita Christus quoque, depulsis ignorantiae tenebris, veritateque consiliorum diuinorum ad hominum intelligentiam translata, lumine homines compieuerit, & demonstrauerit

rit

rit magnificentiam suam. Mirabile videatur iis, qui altioris, quem
 dicunt, sensus curiosi sunt, quod non nisi tali, quo diximus, sensu
 Paulus Christum imaginem Dei appellauerit. Hocine mirabilis
 est illo Pauli, in quo maritus dicitur *ἐκείνῳ καὶ δόξα Θεῷ*, 1 Cor. XI,
 7. ? qua de causa? nempe quod, ipso interprete v. 3. Christus est
 caput h. e. dominus viri, hic feminae, vt Christi Deus. Hac
 re aperitur quomodo *δόξα τῷ Θεῷ* fuerit *ἐν προσώπῳ Χριστοῦ*. Non
 haecenus, quod Christi facies lineamentis ac forma referret
 Deum, sed quod, qui Christum contuerentur in his terris h. e.
 tamquam veritatis diuinæ interpretem, Deum se dictis factisque
 adumbrantem cernerent. ROBERTI STEPHANI codex quintus
 pro *ἐν προσώπῳ* substituit *ἐν παρρησίᾳ*; rem non male expressit,
 similitudinis s. imaginis rationem non habuit. Sed ea de
 re post. Id summo locorum consensu doceri potest: vbiun-
 que Christus profiteatur, se qui videat, Patrem videre, Deum, qui
 cerni sensibus non possit, quasi sensibus subiectum esse per
 Filium, non secus haec intelligi debere quam per facta dictaque
 Christi. *Neque me, inquit Christus Io. VIII, 19, cognouistis, ne-
 que Patrem meum, si me cognouissetis, Patrem cognouissetis quoque*
*quod c. XV, 24. sic quidem effert: Nisi ea edidisset inter eos fa-
 cta, quae alius nullus ediderit, rei non tenerentur peccati (profanita-
 tis, contumaciae, ἀπειθεῖας); nunc & viderunt & oderunt, & me,
 & patrem meum; vbi clarum est: e factis s. miraculis Christum,
 tamquam Dei legarum, Deum, tamquam mittentem, perspectum
 fuisse. Dilucidius etiam Christus Io. XII, 45: Qui me videt, videt
 eum qui me misit. Quo modo hoc dicit? Ego, pergit v. 46.,
 tamquam lumen veni in terrarum orbem; v. 49: Ego ex ingenio meo
 non loquor, sed, qui me misit, Pater, is mihi dedit in mandatis quae
 dicerem. Io. XIII, 8 sq. Philippo roganti: vt Patrem monstraret
 dicerem. Apostolis respondet: qui me vidit, Patrem vidit, ac paullo post:
 verba (doctrinae) quae proloquor vobis, a me (meo arbitrato) non
 loquor. Pater, qui mecum est, is edidit illa facta; hoc sensu ante,
 se cum patre, & Patrem secum esse, dixerat h. e. vnam rem vtrum-
 que tuentem. Praetermittimus cetera, vt c. VI, 36. 40. 46 sq.
 Ita planum est, haecenus, vt ait Ioannes cap. I, 18, cerni Deum,
 quatenus *ἐκεῖνος ἐξηγήσατο*; proprie cerni non potest. Nec pro-
 pter ea nostro in loco de propria facie s. forma Christi cogitan-
 dum est, sed de doctrina & rebus gestis, quibus praesentem Deum
 hominibus exhibuit.*

At proprietatem horum verborum negligendam negabamus. Recte. Non sensu tamen, qui est translatus, sed quoad in istis verbis est significatio comparationis cum facie Moſis colluſtrata diuino ſplendore. Id igitur e capite ſuperiore doceamus, in quo omnis haec res latius explicatur, nouaque praemonſtratur via, qua poſſimus ad intelligendam Paulli formulam accedere. Nempe ibi Paulus, vt Iudaeorum maleuole obreſtantium calumnias repelleret, Moſen cum Apoſtoliſ, illius locum a Deo ornatum cum Apoſtoliſ muneris magnificentia componit, cuius comparationis haec ratio eſt. Viderat in monte Moſes ſplendorem ac maiestatem quodam modo Dei, qua re factum, vt ab illo eius facies aliquid etiam ſplendoris traheret, qui, eſti non maneret niſi ad tempus, erat tamen tantus, quantum Iſraelitarum oculi ſuſtinere non poſſent, c. III, 7. cogereſturque Moſes velamen faciei adhibere, vt iſta ſplendoris vis aliquantisper mitigaretur, v. 13. Qua quidem in re Paulus aliquam veluti imaginem Iudaeorum videt, qui, quamquam legis Moſaicae uſuram habentes, iſtius legis quaſi vltimum & extremum, Chriſtum, non contuerentur (hoc eſt illud *μη ἀπειθοῦσιν εἰς τὸ τέλος τῆ καταργημένης*, v. 13.); id quod ita exprimit, vt hodie quoque, dum Moſes legatur h. e. lex eius, velamen dicat animis Iudaeorum incumbere, v. 15., quod tolli non poſſit, niſi ſe ad Dominum applicent h. e. Chriſtum audire velint, v. 14. & 16. Nec tamen deteriorem eſſe dicit, & vero etiam longe meliorem, conditionem Apoſtolorum, quam Moſis, v. 8. Viderant & illi omnes, vt eſt v. 18. primum, tamquam in ſpeculo, ſplendorem maiestatemque Domini, non quaſi obuelata facie h. e. non ea in re ſimiles Iudaeorum, quorum mentes obductae eſſent velo impediēte quo minus Chriſtum in lege Moſaica agnoſcerent. At Moſes proprie ſplendorem viderat; his maiestatis diuinae fruſtum dederat Chriſtus per doctrinam ſuam (id quod eſt in illis: *ὡπὸ Κυρίου πνεύματος*). Tum, quem ad modum illius facies illuſtrata Dei adſpectu fuerat, ſic eandem ipſam quaſi imaginem Chriſti ſibi impreſſam ſentiebant Apoſtoli h. e. ſe eius ſimiles redditos, eius videlicet ſplendorem docendo referentes. Sed ea in re ipſum vincebant dignitate Moſen, quod eius ſplendor per breuis eſſet (*δέξα καταργημένη*, v. 7.), horum, ſemper noua incrementa caperet, ſiue ſcientia aucti eſſent ſiue celebritate. In

eo quoque erat aliqua Mosis eorumque dissimilitudo, quod
 utrorumque doctrina apud Iudaeos vacua effectis esset, v. 15.
 c. III, 3. 4., sed ea illius quidem primum propter figurarum
 umbras, deinde quod nollent Iudaei Christum, istarum umbrarum
 vim sua praesentia declaraturum, audire, cap. III, 14-16,
 horum autem i. e. Apostolorum, non quo obscura esset ad in-
 telligendumque difficilis, ut illa Mosis, sed quod Iudaei lumen
 ipsum, tamquam desperati (*ἀποχρησμένοι*), refugerent, III, 3. 4.
 Haec omnia cogitanti quo modo dubium esse possit, omnes
 orationis Paullinae partes inter se referri, ut nihil etiam figu-
 rarum sine causa, nihil sine isto, ut ita dicam, respectu ad
 Mosis historiam positum sit, qui cum vel Dei ipsius expetiisset
 adspectum, non illo quidem, qui contingere non posset,
 adspectu, sed singulari tamen splendore, sui ipsius faciei im-
 presso, recreatus esset? Verba igitur ea, quibus Apostoli per-
 hibentur *in facie Iesu Christi* Dei splendorem vidisse, ea igitur
 otiosa, ea sine respectu ad Mosen posita putemus?

Sed veremur, ne sint, qui, dum hoc concedant, ne-
 gent tamen modo eo, quo sumus vsi, explicari hanc similitu-
 dinem debere; quibus etsi difficile videtur satisfacere in tanta
 obscuritate loci c. III, 17. 18., quam vno ore omnes fatentur,
 hoc aequioribus tamen nos vsuros speramus arbitris, dum in-
 terpretationis nostrae rationem reddere conemur. Est igitur
 hoc primum quod sumimus: de Apostolis, ac potius doctori-
 bus disciplinae Christianae, dicta esse ea, quae v. 18. leguntur.
 De his iam venit in mentem aliis interpretari verba, &
 qui ad Christianos vniuersos referunt, ne diffiteri quidem
 possunt, illos doctores etiam comprehensos esse. Verum
 tamen, etsi rem eandem suo modo non negamus in omnes
 Christianos cadere, non, an hoc ita sit? positum esse in quae-
 stione potest, sed Paullus hoc quidem in loco, quaeritur, de
 quibus dixerit? Nobis quidem, de doctoribus, videtur. Nam
 vniuersae disputationis Paullinae vsque a vers. 7. primum est
 & extremum in defendenda gloria doctorum Evangelii, & *τῶν*
διδασκάλων τῶν πνευματικῶν; neque propter susceptam talem disci-
 plinam, sed *διδασκάλων*, cap. III, 1. se profitetur non condere
 animo, ac veritatem potius palam tradere, v. 2., non de se
 sed Christo Iesu, tamquam Domino, concionari; ut nulla caus-
 sa

ſa ſit ſermonis ad alios, quam doctores, referendi. At, *ἡμεῖς πάντες*, inquit. Omnemſue Chriſtianos intelligit, an *doctores* aut Apoſtolos vniuerſos? nam *ἡμεῖς, nos*, ante de ſe vno dixerat, itaque orationem nunc ad omnes ſui ſimiles tranſfert h. e. ad omnes qui *διακονοῦν τῷ πνεύματι* ſuſcepiſſent, quam, nihil aliud, demonſtrauerat eſſe *ἐν δόξῃ*.

Hos igitur Apoſtulus dicit *κατοπτριζόμενοι τὴν δόξαν Κυρίου*, hunc Domini ſplendorem tamquam in ſpecule videntes; quibus, vt nobis videretur, verbis non tam debilem & imperfectam exprimit quam eam cognitionem, quae, vt a ſpeculo redditi radii oculos ferire ſolent, ſic tributa eſſet interueniente doctrina Chriſti. Nam illud quidem primum docet Paullus ipſe adiectis verbis: *καθότι οὐκ ἔστιν πνεύματος*, quae, niſi modum acquiſitae cognitionis, nihil ſignificant; in quibus explicandis ne cum lectoribus nos in interpretatione dumeta compellamus, quid maxime probabile videatur, breuiter expediemus. Ac illud *ἀπὸ Κυρίου πνεύματος*, non poteſt eſſe, vt multis placebat, a Spiritu Domini. Quod ne admittunt quidem verba, quae eſſe deberent, vt v. 17. *ἀπὸ τῆς π. τῆς Κ.*; ac fruſtra nobis adnumerant exempla in quibus omiſſus articulus ſit, neque enim docent quod tali in forma potuerit omitti, quodque per hunc verborum ordinem eſſe talis ſenſus poſſit. Tum ipſum nomen *Κυρίου*, tamquam ſubiectum, per vniuerſum orationis contextum regnat; ad hunc ſe vertere Iudaei debebant, v. 16, hic *πνεύματος* appellatur v. 17, huius ſplendorem contuebantur Apoſtoli v. 18, hunc commendabant aliis c. III. v. 5, quo ſit vt neque hic ſubiectum eſſe non debeat. Neque tamen *ἀπὸ Κ. π.* poteſt eſſe a Domino Spiritus, ſed, quoniam Paullus v. 17. clare dicit: *ὁ δὲ Κύριος τὸ πνεῦμά ἐστιν*, verba ſunt, quem ad modum Grammatici loquuntur, in appoſitione poſita, quaſi tu diceret: *ἀπὸ Κ. ἔστι πνεῦμα*, veluti c. I, 22. *ἀρχαίων τῷ πνεύματι*, Col. III, 24. *ἀντιπρόδοσις τῆς κληρονομίας* pro: *ἡτις ἐστὶ ἡ κληρ.* cuius generis alia quam plurima exempla tirones reperiant a BAVERO V. Cl. collecta (*Philol. Thürydid. Paullin.* p. 29 ſeq.). Quid igitur hoc eſt v. 17. *ὁ δὲ Κυρ. τὸ πνεῦμά ἐστιν*? Acu tetigiſſe videtur ERNESTIVS, excellentiſſimus interpres, (nouae Bibl. theol. Vol. 2. p. 503.): *Ille Dominus (ὁ Κυρ. pro ἐκείνος ὁ Κυρ.), ad quem conſugere deberent Iudaei, Spiritus eſt, is videlicet quem Paullus v. 6 ſq. ita dixiſſet. h. e. Ieſus non modo ipſe ſ. perſona eius, ſed per*

per Euangelium quidem suum, quod πνεῦμα appellauerat Paulus, vt γεγάμηα scripturam s. religionem Iudaicam; quamquam & FLACIUS atque HAMMONDVS eius rei aliquid subdoraui videntur. Licebit addere: πνεῦμα per metonymiam esse posse pro auctore perfectioris doctrinae, vt Christus ζωὴ dicitur, ἀλήθεια, ὁδός, ἀγός ἐν τῷ ἔργῳ & similibus modis, pro eo qui haec omnia monstrat siue largiatur. Quibus omnibus efficitur, non secus ac per doctrinam Christi interpretes eius vidisse splendorem maiestatemque Christi.

Eius rei ratio aliqua est etiam in modo quo eam vidissent, ἀνακεκαλυμμένο πρόσωπο, vt ait Apostolus. Nam, etsi sunt, qui haec verba referant ad faciem Christi, non, quem ad modum Moysis, obuelatam, quam opinionem copiose in primis defendit CONR. IKENIVS (*diff. philol. theolog.* p. 544 seqq.), cuius argumenta hic examinare non lubet: claris tamen verbis Paullus Iudaeorum mentibus quoddam quasi velum iniectum commemorat v. 14. 15., non nisi a Christo detrahendum, qui Κύριος sit idemque πνεῦμα. Atqui ab isto illo Κυρία, πνεύματι, hoc, de quo loquimur, beneficium deriuat, quod ἀνακεκαλ. πρόσωπο eum intueantur; nec igitur, nisi de Apostolis s. doctoribus, illud ἀνακεκαλ. πρόσωπον intelligi posse videtur. Quod si ita est, pariter eos Christi splendorem, Euangelii interuentu, perspexisse patet. Etenim si Christus tamquam πνεῦμα h. e. tamquam Euangelii auctor, detrahit istud velum, vers. 16. & 17., idque de mentibus Iudaeorum, deque *legentibus* libros V. T. v. 14. 15. detrahitur; facile est ad intelligendum, non nisi cognitionis emendatione id fieri, quae existat ex Euangelio. Hoc vbi est, inquit Paullus v. 17. *ibi libertas est*, plane vt Christus ipse Io. VIII, 31. 32.: *Vbi manseritis in mea doctrina, intelligetis veritatem. Et veritas in libertatem vos vindicabit.* Adhibere possemus & hoc: Paullum in loco eo, quem proprie tractamus, loqui de cognitione splendoris Dei in facie Iesu Christi, quae tum existerit, cum Dei lumen Apostolorum in mentes illaberetur (sic enim καὶ οὗτοι intelligantur, vt vers. 4. τὰ νοηματα), imbuerenturque doctrina Euangelii, quod Paullus ibi, pro γνώσει in loco nostro, substituit: sed satis de hoc, id quod e difficiliore loco (v. 18.) reliquum est, persequamur.

Nempe nos, inquit, dum Domini splendorem contuemur, μεταμορφώμεθα (κατὰ) τὴν αὐτὴν εἰκόνα, ἀπὸ δόξης εἰς δόξαν. In his postremis significationem esse incrementorum omnes vident; in μεταμορφώσει similitudinem quamcumque cum Christo quaerendam, nec quidquam aliud quam in ἀνακατανοήσει καὶ εἰκόνα τῆς, Col. III, 10, nemo neget, nisi qui notationis vanitate deceptus nescio quam arcanam sapientiam quaesuerit. Sed qui illam de animi correctione atque etiam fructu beatitudinis sempiternae siue in hac siue in altera vita interpretantur, veremur ne ab hoc quidem loco plane aliena videant. *Videre splendorem Domini* quid est aliud quam agnitionem magnificentiae Domini, per Christi ipsius doctrinam consequi? quod quidem, pariter ac Paullum Doctorem Christianis hoc beneficium asserere, speramus planum fecisse. Quodsi igitur Paulus eiusdem metaphorae continuatione proficitur eodem cum Christo eos splendore ornari, eandemque eius imaginem ab iis referri: quid potest aliud intelligi, quam quod, eadem doctrina tradenda, eandem celebritatem cum Christo nanciscantur? Propter ea, quem ad modum in huius muneris (δικαιοσύνης) praestantia se ante iactauerat oratio Paulli vniuersa, ita statim subiicit cap. III, 1. 2.: *quare cum tam nobili ornatu simus munere, non perturbamur, sed Deo nos hominibusque probamus veritatis professione.* Locum videtis similem eius, quo Christus vitur Io. VII, 38, cuius vim esse hanc, vt, quae consecuti sint Christi discipuli, ea & aliis iterum tribuant, agnoscent omnes interpretes, ac de doctrina accepta eaque ad alios propaganda ibi intelligi verba debere, alias nos meminimus docere (*Opuscul ad interpr. SS. Script. p. 52 seq.*).

Liceat huius commentarioli in γνώσει τῆς δόξης τῆ Θεοῦ ἐν προσώπῳ Ἰησοῦ Χρ. finem facere commemoratione nobilissimi loci Ioannis Euang. I, 14. vbi: *contuebamur, inquit, maiestatem (τὴν δόξαν) Christi, maiestatem tamquam vnicui filii* (qui erat) *apud Patrem, plenam* (vid. Grotium) *verissimis beneficiis (χαρίτων ἢ ἀληθείας).* Quid hoc sit, is ipse explicat v. 16. 17. quos ad illum versum referri vel verborum similitudo doceat: *Auqui ex eius plenitudine (πληρώματι) h. e. locupletissimo thesauro nos omnes accepimus* (grandius) *beneficium pro beneficio (minoribus);* ἔλαβόμεν & ἐπέβετο v. seq. de beneficio clare loquitur, quod

quod essent consecuti. Quale igitur minus illud est, atque grandius? *Namque lex*, addit v. 17., *per Moſen data est, verius beneficium*, hoc nomine multo etiam magis dignum, longe illo grandius, *per Ieſum Chriſtum contigit*. Itaque, ſi benefaciendo demonſtravit maiestatem diuinam, qua in gratificatione natura Dei maxime cernitur, quaeritur id quale ſit? Nempe *nemo*, inquit v. 18. *Deum unquam vidit, vnicus ille filius* — — *is nobis expoſuit*. Quid ergo eſt? Viderunt Deum ſ. Dei maiestatem per Chriſti doctrinam; viderunt maiestatem Chriſti e beneficiis videlicet iis, quae iſta doctrina tradidisset, vt quae vel ipſa maximum beneficium eſſet. Quae ſi comparentur cum verbis Pauli, de quorum ſenſu diſputatur, in promptu eſt iudicare, agnitionem maiestatis ſ. gloriae Dei in facie Ieſu Chriſti non aliam eſſe poſſe, niſi quae per Ieſum, tamquam conſiliorum diuinorum interpretem, contigerit.

Reſtat docere paucis: qui ſit φωτισμός τούτης τῆς γνώσεως, cuius cauſa lumen Dei animis Apoſtolorum immiſſum fuerit. Quem plerique de cognitione ea interpretantur, qua fuerint Apoſtoli ipſi imbuti, alius rem referentibus ad propagationem Euangelii per Apoſtolos. Quod quidem verius nec propter ea commoda videtur ſententia eorum, qui φωτισμόν dictum putent pro φωτί, lumine ipſo, aut genitium, τῆς γνώσεως, poſitum tamquam interpretationem τῆ φωτισμός q. d. φῆτις ἐστὶ γνώσις, quod nuper admodum in mentem venit doctiſſimo cuidam viro. Nam omnis Paulli diſputatio, vt ſaepe diſtinximus, de propagatione Euangelii eſt, & locus ſimilis conſentit ad Ephes. III, 8 ſeq., vbi Paullus ſe dicit *inſinitam opulentiam Chriſti tradere* (εὐαγγελίζεσθαι) ἔτ̄ docere (φωτίζεσθαι) quam admirabilis ſit adminiſtratio incognitae doctrinae, ab aeterno abſconditae apud Deum (ἡ εἰκονία, ſic enim legendum, τῆ μυστηρίου τῆ ἀποκρυφθέντος ἀπὸ τῶν αἰώνων ἐν τῷ Θεῷ) omnia conſtituentem per Ieſum Chriſtum.

Quidni

Quidni vero, HUMANISSIMI ACADEMIAE NOSTRAE CIVES, & nos fruamur hoc tanto beneficio, quod nobis est a Deo, Christo, eiusque Apostolis administrantibus, tributum. Quae enim potest esse vera eaque stabili felicitas, nisi quae a religione proficiscatur? quam autem haec potest consolationem afferre, animumque vel in huius vitae procellis confirmare, vel mitigare sensum tarditatis, impotentiae peruersitatisque humanae, vel ad virtutis studium, quod sine Dei confidentia nullum est, inflammare, aut laetam spem dare securitatis beatitudinis in coelo, nisi sciamus, placatum nobis Deum atque propitium semper futurum? Cuius quidem spei firmitatem vni Christo debemus, qui Dei consilia summi amoris ac benivolentiae plena detulit ad nos, itemque tot tantisque voluntatis diuinae signis confirmauit, vt, quicumque in Eo contueantur Deum, dubitare de huius animo paterno non debeant. Hoccine igitur beneficio ita fruimur, vt pietas in Deum postulat? vt agnoscamus, quantum hoc sit: edoctum esse ab ipso Deo, vt discere ab eo cupiamus sitienterque acquiramus diuinae sapientiae incrementa, vt animis moribusque ad illam sapientiam conformandis gratum animum Deo probemus? Quod vtinam, vel hoc tempore, quod est ad recolendam memoriam luminis terrarum orbi in Iesu Christi persona affulgentis a veteribus constitutum, diligentissime perpenderemus, cogitantes, quae sit huius beneficii maximi vis, quis noster erga Deum animus, quis optimus huius amoris diuini pietate remunerandi modus! Vtinam inter Vos ii in primis, qui se studio caelestis sapientiae dedidere, excitati Apostolorum exemplo, acerrimo sensu contuerentur splendorem Dei in facie Iesu Christi, vt, ad eandem imaginem informati, reddere & aliis illum splendorem possent, atque hunc summum honorem putarent, vel sic Domini nostri Iesu Christi imaginem referre. P. P. d. XXIII. Decembris A. C. M DCC LXXV.

Fe 4194

ULB Halle 3
002 623 889



St

Rehov





38

ΠΕΡΙ ΤΟΥ ΦΩΤΙΣΜΟΥ ΤΗΣ ΓΝΩΣΕΩΣ ΤΟΥ ΘΕΟΥ
ΕΝ ΠΡΟΣΩΠΩ ΙΗΣΟΥ ΧΡΙΣΤΟΥ
AD LOCVM 2 COR. III, 6.



DISPUTATIO
IN
MEMORIAM NATALIS IESV CHRISTI
SCRIPTA
AVCTORITATE ACADEMIAE FRIDERICIANAE
A
I O. A V G. N O E S S E L T
THEOL. DOCT. ET PROF. ORD.

HALAE
FORMIS HENDELIANIS
A. M D C C L X X V.

